



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VIII. Vlterior prosecutio nostræ sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

intelligere, siue dicere, necesse est quod eodem modo sciat omnia quae scit, quo ea dicit, aut intelligit. Ex his testimoniis constat dictionem seu productionem Verbi esse formalissimè intellectioem quandam.

76 Iam verò quod Verbum dictione, ac locutione productum sit etiam formalissimè intellectio, ac cogitatio, siue cognitio obiecti, & supra probatum manet, cum Thomistas, aliosque intellectioem omnem in sola actione collocantes impugnaremus, & ulterius multis, ac luculentissimis Patrum testimoniis potest suaderi. Atque in primis Aug. lib. 15. de Trinit. c. 15. sic ait: Cogitatio quippe nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata Verbum nostrum verum est. Et c. 12. ibi: De visione scientia visio cogitationis exoritur, quod est Verbum lingua nullius: Verbum verum de re vera nihil de suo habens, sed totum de illa scientia, de qua nascitur. Et lib. 9. de Trinit. c. 8. ibi: Conceptum autem Verbum, & natum idipsum est, cum voluntas in ipsa notitia conquiescit. Et c. 11. ibi: Cum Deum nominamus, quamvis meliores efficiamur, quam eramus, antequam nossemus, maximeque cum eadem notitia etiam placita digneque amata Verbum est, sitque aliqua Dei similitudo illa notitia, tamen inferior est, cum in inferiori natura est. Et tom. 10. de Natiuit. Ioan. Baptistae ferm. 1. sic habet: Hoc iam sollicitè requiramus, quid inter Verbum sit, & vocem: Scriptura sancta Verbum esse definit, quod intra animi silentium mente concipimus: Verbum esse definit ipsam cogitationem, quae adhuc intra conscientiae secreta retinetur: vocem vero, per quam Verbum profertur in medium. Vox sonus est, index cogitationis, Verbum verò ipsa cogitatio, Et 1. 7. de Trinit. c. 2. ibi: Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata sapientia. Haec tenus Augustinus.

77 Augustinus consentit Anselmus in Monolog. c. 31. ibi: Cum enim cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meae in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attrahit, quae imago in cogitatione Verbum est, eiusdem hominis, quem cogitando dico: habet igitur mens rationalis, cum se cogitando intelligit secundum imaginem suam ex se natam, id est, cogitationem sui ad suam similitudinem, quasi sui impressione formatam, quae imago eius Verbum eius est. Et c. 46. eiusdem operis ibi: Rem etenim cogitare, cuius memoriam habemus, hoc est mente eam dicere: Verbum verò rei est ipsa cogitatio, ad eius similitudinem ex memoria formata. Hoc ipsum etiam docet Ioan. Damasc. lib. 1. fidei orthodoxae c. 18. ibi: Verbum est naturalis mentis motio secundum quam mouetur intelligit, & cogitat, veluti lux ipsius existens, atque splendor. Ex quibus Patrum testimoniis, aliisque quae afferri possent, liquido constat, quod etiam Verbum mentis sit intellectio, cogitatio, notitia, siue cognitio.

CAPVT VIII.

Uterior prosecutio nostra sententia de essentia intellectiois.

78 Porro autem, ne quis existimet, nostram de conceptu intellectiois sententiam nouam esse, ac singularem, quod in primis sit B. Thomae ostendo: siquidem Verbum ab intellectu productum est iuxta eum intellectio. Deinde actio etiam productiua Verbi est etiam intellectio iuxta ipsum: duplicem ergo intellectioem circa quoduis agnoscit obiectum, alteram in actione alteram verò in qualitate sitam. Prius suaderetur ex 1. 4. contra gent. c. 11. ibi: Intellectum autem in intelligente est intentio intellecta, & Verbum: est igitur in Deo in-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. II I.

telligente seipsum, Verbum Dei, quasi Deus intellectus, sicut Verbum lapidis in intellectu est lapis intellectus. Et paulò inferius: Intellectui nostro accedit in tempore Verbum interius conceptum quod est intentio intellecta. Et iterum ibid. Est autem de ratione exterioris verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis: intellectus enim intelligendo concipit, & format intentionem, siue rationem intellectam, quae est interius verbum. Et paulò infra: Intellectus enim noster aliqua naturaliter cognoscit, sicut prima intelligibilium principia, quorum intelligibiles conceptiones, quae verba interiora dicuntur, naturaliter in ipso existunt, & ex ipso procedunt.

Rursum in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. idipsum docet in haec verba: Si inquiratur quid sit illud Verbum, quo aliquis sibi loquitur, non inuenietur esse nisi conceptio intellectus. Et q. 4. de verit. art. 1. sic dist. utat: Unde Verbum interius est ipsum interius intellectum. Et art. 2. ibi: Verbum intellectus nostri secundum cuius similitudinem loqui possumus de Verbo in diuinis est ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod est ipsum intellectum quod dicitur conceptio intellectus. Et art. 3. ad 3. Dicendum quod notitia est de ratione Verbi quasi importans essentiam Verbi. Et art. 5. corp. ibi: Hoc nomen Verbum imponitur ad significandum aliquid absolute cum aliquo respectu adiuncto: est enim idem Verbum quod sapientia genita. Haec hucusque Angelicus praeceptor.

Ex quibus sic argumentor. Verbum est qualitas per actionem intellectualem praedicta: sed iuxta B. Thomam locis superius allegatis intellectio praefertim quatenus denominat obiectum intellectum, est Verbum: ergo & qualitas de qua supra. Adde quod 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. sic loquitur: Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quadam in intellectu nostro prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellecta. Quibus verbis clarissimè docet, qualitatem esse intellectioem eamque praecise receptam in intellectu seorsim à quauis origine, & actione intellectus tribuere ei veram denominationem, & habitudinem intelligentis.

Posterius etiam suadet, nempe quod Angelicus praeceptor intellectioem in actione productiua Verbi saluari posse existimet. Namque in 1. dist. 27. quaest. 2. art. 2. sic ait: Conceptio autem intellectus est vel operatio ipsa, quae est intelligere, vel species intellecta. Et quaestione 4. de verit. articulo 2. ad 2. sic inquit ibi: In nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est exprimere ex se aliquam conceptionem, nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo, & ideo omne intelligere, in nobis proprie loquendo est dicere. Et 1. part. quaest. 34. articulo 1. ad 2. ibi: Non enim intelligere significat actionem ab intellectu exeuntem, sed in intellectu manentem. Et 4. contra gentes cap. 11. ibi: Est autem de ratione interioris Verbi, quod est intentio intellecta, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere, cum sit quasi terminus intellectualis operationis: intellectus enim intelligendo concipit, & format intentionem, siue rationem intellectam, quod est interius Verbum. Annon his testimoniis perspicue docet, intelligere esse operationem, & etiam esse actionem; rursum intelligere esse dicere, seu producere Verbum; ac tandem intelligere esse concipere, & formare Verbum, quod etiam idem est ac illud producere?

Postquam autem per partes ostendi B. Thomam iam in actione iam in qualitate, siue Verbo, intellectioem

constituere;

constituere; operæpretium erit, non partitum, sed una eademque opera, unoque eius, eoque luculentissimo testimonio idipsum breuiter ostendere. Itaque in 1. dist. 27. q. 2. art. 2. Sic, inquit, unde oportet vel dicatur ipsa operatio intelligendi, vel ipsa species, quæ est similis rei intellecta; & sine utroque istorum non potest quis intelligere: utrumque enim istorum est quo quis intelligit formaliter. Quod autem P. Hurtadus disp. 6. de anima sect. 1. docet B. Thomam hoc loci non constituere intellectionem modò in actione, modò in qualitate, ac similitudine diuim sumptis, sed potius collocare intellectionem in utraque collectim usurpata, ita ut neutra seorsim ab alia, & prout ab ea condistinguitur, esse possit intellectio; hoc inquam falsum esse constat. Primò ex testimoniis quæ ex S. Doctore superius allegauimus. Tum etiam quia ex distinctione immediatè antecedente palam est, cum dicitur tam actionem quam qualitatem, siue similitudinem esse intellectionem, id intelligendum esse de alterutra seorsim sumpta, ac prout disiuncta ab altera. Tum denique quia quod dicitur in testimonio, de quo est controuersia, utrumque esse intellectionem, non tollit quominus alterutra seorsim ab alia, & prout condistinguitur ab illa sit intellectio; haud secus ac cum dicitur de Petro, v. g. Paulo utrumque currere, non significatur neutrum non intellecto altero currere, sed potius alterutrum, prout condistinguitur ab alio, & separatim sumptum, proprio sibi motu currere.

83. Nostram sententiam ostendo etiam esse sapientissimi P. Ludouici Molinae 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. ibi: *Quemadmodum calefacere non est aliud quam producere calorem, & albefacere non est aliud quam producere albedinem: ita cognoscere non est aliud, quam potentiam cognoscentem vitaliter hoc est per actionem, quæ efflorent per eam ab anima qua principium vite emanet exprimere in seipsa imaginem rei cognoscenda: cognitio namque operatio est vitalis, quam proinde necesse est emanare à viuente per potentiam cognoscentem. Imago autem, quæ per cognitionem exprimitur appellari solet tum notitia, tum species expressa. Rursus num. seq. sic ait: Quando ergo homo rem aliquam cognoscit, utique per actionem vitalem, quæ eius rei imaginem, & notitiam in seipso exprimit, dicitur cognoscere tanquam per actum cognoscendi: per notitiam verò ipsam, & imaginem expressam tanquam per terminum actionis. En ait iterum atque iterum cognitionem, siue intellectionem esse operationem, actionemque vitalem imaginis intentionalis expressiuam, seu productiuam, nec aliter consistere in actione, quam in ea consistunt calefactio, & albefactio. Alia verò ex parte docet ubi suprâ, terminum actionis cognoscitiuæ esse etiam cognitionem, & intellectionem: tum quia asserit, per eam nos cognoscere: tum quia illum vocat notitiam obiecti: notitia autem est formaliter cognitio siue intellectio quædam, haud secus, ac noscere, à quo derivatur notitia, idem est atque cognoscere, & intelligere.*

84. Pergit noster Molina quo solet acumine & 1. p. q. 27. art. 1. disp. 8. memb. 2. idipsum quod prius docuit, & ad veritatem, & ad mentem D. Thomæ testatur accedere, in hæc utique verba: *At verò D. Thomas verissimè arbitratus intellectionem esse actionem, per quam producitur conceptio, siue imago expressa rei quæ intelligitur; nosque intelligere per intellectionem tanquam per actionem, per conceptum verò ac imaginem expressam tanquam per terminum productum eo pacto quo paries sit albus per albefactionem tanquam per actionem, aut passionem, & per candorem tanquam per terminum productum per albefactionem, &c.* His po-

stemis verbis ait ita se habere terminum actionis intellectualis ad denominationem intelligentis; sicut se habet terminus albefactionis ad denominationem albi: ex quo fit ut quemadmodum terminus albefactionis se solo, & prout distinctus à quavis actione est albedo, subiectumque album denominare valet; ita similiter terminus actionis intellectualis se solo, & prout condistinctus ab omni actione iuxta eum sit intellectio, & animam reddere possit intelligentem. Primis autem eiusdem testimonij ex eo adductis verbis asserit B. Thomam verissimè arbitrari intellectionem esse actionem, per quam producitur conceptus, siue imago rei. Nec refert quod statim subiiciat, ita per actionem productiuam verbi, siue imaginis nos intelligere, sicut per productionem albedinis paries sit albus: ex quo videtur sequi, quod actio productiuam Verbi non tam sit, iuxta eum, intellectio, quam intelligi factio, ut sic dixerim, sicut actio productiuam albedinis haud est, iuxta illum, albedo, sed albefactio; hoc inquam non refert: quia comparat intellectionem cum actione albedinis productiuam, quatenus hæc est forma albefacti; & statim eandem confert intellectionem cum ipsa albedine, quatenus albedo est forma albi: quod enim ait, sicut paries sit albus importat formalissimè denominationem albefacti, & simul denominationem albi, nec magis vnam quam alteram: quare quod vult est, ita nos denominari intelligentes per actionem intellectualem, sicut paries denominatur albefactus, aut siens albus, ut sic loquar, per actionem albedinis productiuam, & similiter dici nos intelligentes per verbum actione vitali productum, sicut paries dicitur albus per terminum albefactionis.

85. Verum ne quis sit tergiversandi locus en aliud expressum, manifestumque eiusdem Molinae testimonium citata q. 12. art. 2. disp. 1. ibi: *Verbum etenim non concurrat ad cognitionem rei obiectæ, tanquam quid cognitum, in quo videlicet, vel per quod cognoscatur obiectum, sed tanquam ratio cognoscendi, & terminus cognitionis necessario exprimendus ad perceptionem obiecti. Itaque visio immediatè ad diuinam essentiam tanquam ad rem visam terminatur: ad verbum autem non tanquam ad rem visam, sed tanquam ad rem ipsa visione per se genitam.* Quibus verbis in primis asserit, Verbum, siue terminum ab intellectu interioris productum, esse rationem cognoscendi, ac proinde cognitionem. Deinde docet, visionem Dei producere in intellectu Beati eius Verbum, quod perinde est, ac pro priori naturæ ad verbum dari visionem Dei in actione fixam, adeoque cognitionem siue intellectionem.

86. Hactenus explicui, quo pacto intellectio creata de facto existens constituta sit, & qui mecum eandem eius amplectantur constitutionem. Superest explicare, quales intellectiones Deus creare possit: siquidem haud nisi intellectionum etiam possibilium conditionibus intellectis intellectionis in communi essentia plenè potest innotescere. Afferendum igitur ulterius est, non repugnare intellectionem, quæ non tantum in qualitate intellectui intrinseca, sed etiâ in obiecto insuper eius qualitatibus veluti collectim consistat: quin etiam haud repugnare intellectionem, quæ formaliter fixa sit in ipso intellectu, & eius obiecto. Probatur primò, quia similitudo physica ex fundamento, & termino intrinsecè, & essentialiter coalescit cur ergo repugnet, similitudinem intentionalem aliquam in qualitate intellectuali, & obiecto, aut in ipso intellectui, & obiecto consistere, quamvis de facto, ut aiunt, aliter se res habeat, ut ex argumentis ad huius initium tractatus propositis liquet? Secundò, quia obiectum intellectionis ut sic non est extra rationem intellectionis, ut videre est in intellectione reflexa, quæ à suo

suo obiecto non distinguitur, in eoque ab intellectu, seu cognitione directa distinguitur, quod ita non sit ab obiecto suo distincta. Cur ergo implicet contradictionem intellectio, quæ in intellectu, aut aliqua eius qualitate, ac simul in obiecto vtriusque, homine v.g. aut lapide sita sit.

87 Rursus asserendum est, non repugnare intellecti-
nem aliquam, quæ sit essentialiter actio, ac seipsa
seorsim à quavis actione distincta, ac prævia ab in-
tellectu proficiscatur. Ratio huius est, quia de ratio-
ne actionis, & termini non est, vt inuicem realiter
distinguantur. Etenim quavis creatura est terminus
diuinæ omnipotentiae, ab eaque producit: aliunde
88 verò est essentialiter actio, & seipsa à Deo, eiusque
omnipotentia producit: de quo alibi. Item filius
Dei est terminus generationis paternæ, ac simul est
ipsa generatio passiva. Ad hoc: possibilis est effectus
aliquis. Phisicus causæ etiam creatæ, qui simul
actio sit, ac per seipsum producat: quæ enim in
hoc implicatio terminorum est? Similiter ergo in
præsentia, &c.

88 Præterea asserendum est, non repugnare intelle-
ctionem, quæ, quin actio sit, seipsa tamen intellectui
vniatur, & non qualitas absoluta, vt de facto, sed mo-
dus sit. Quemadmodum enim intellectio aliqua esse
potest actio, quidni & alia queat esse vnio per actio-
nem producta? Et sicut subsistentia, cum iuxta plu-
res aduersariorum sit modus de facto, nihilominus
de potentia absoluta esse potest forma absoluta, ac
denominationem suam per vnionem distinctam tri-
buere, haud aliter ac subsistentia verbi non nisi vnio-
ne distincta facit humanitatem Christi subsistere:
sicut inquam hoc ita se habet, cur etiam intellectio,
quæ modo qualitas absoluta est, nequeat esse modus
in alio rerum ordine?

89 Postremò asserendum est, intellectiorem aliquam
non repugnare, quæ simul actio vnioque sit. Nec
enim actio, & vnio identificari inuicem repugnant,
sed potius in eadem realiter entitate coherent, cum
actio, quauisunque saltem de facto sit, seipsa agenti
creato vniatur: aliàs si per vnionem à se distinctam
ei vnitur, ea vnio per aliam actionem produceretur, &
rursus hæc productio per aliam vnionem vnietur, &
vltius hæc vnio alia actione produceretur, ac sic vnio-
nes, & actiones infinita, & prorsus innumerabili al-
ternatione multiplicabuntur, quod est per absurdum.
Quando igitur vnio & actio in eadem entitate com-
possibiles sunt; quando item intellectio actio esse
potest, necnon vnio, vt superius ostensum est, cur
vtraque simul esse nequeat?

C A P V T IX.

*Satisfit argumentis contra nostram senten-
tiam superius explicatam de essentia
intellectionis.*

90 A Sserui duobus capitibus præcedentibus in pri-
mis actionem productiuam verbi, prout ab eo
realiter distinctam, eoque natura priorem, esse intel-
lectionem obiecti. Secundo verbum ipsum, prout
condistinctum ab actione, atque in sensu diuiso
illius, esse etiam intellectiorem, seu cognitionem rei.
Tertio non repugnare intellectiorem, quæ in aggre-
gato actus, seu potentie, necnon etiam obiecti for-
malissime consistat. Quarto nullam etiam esse repu-
gnantiam in intellectiione, quæ nec sola actio pro-
ductiuam verbi sit, nec solum verbum, sed potius actio,

& verbum, terminusque absque vlla vtriusque distin-
ctione reali. Quinto non implicare etiam intelle-
ctionem, quæ non qualitas absoluta, sed modus sit,
ac seipsa intellectui vniatur. Sexto tandem intelle-
ctionem aliquam possibilem esse, quæ sit essentiali-
ter actio, & vnio. Quæ asserta, quoniam non om-
nibus placitura sunt, idcirco ea ab argumentis con-
trariis libet breuiter vindicare.

Obiiciunt ergo primò contra primam assertionem
aliqui. Si intellectio est actio, sanè intelligere erit
91 agere & intelligi erit agi: intellectus igitur intelli-
gens obiectum illud ager, & rursus agens, producon-
que verbum illud intelligit, atque cognoscer: pari-
que ratione obiectum, quoties intelligitur, toties
ageretur, ac produceretur; verbumque, vt non intelli-
gitur, sic etiam non produceretur. Obiiciunt secundo
aduersarij contra eandem assertionem terminus
actionis, per quam intellectus operatur immanen-
ter, se solo est imago, ac similitudo, seu representa-
tio obiecti, atque adeo est intellectio, seu cognitio
illius: haud aliter atque in Deo etiam datur intel-
lectio quædam absoluta, & essentialis seorsim à quavis
actione, vel origine. Quando ergo terminus actio-
nis, de qua loquimur, est intellectio, certe ipsamet
actio non habebit rationem intellectiionis: quo pa-
cto quia terminus calefactionis calor est, sanè ipsa
actio calefactiua calor neutiquam censetur.

Ad primum tamen argumentum respondeo: aut
sermo est de agere præcisè, atque in communi sum-
pto: & ita intelligere, licet sit realiter agere, ab eo
tamen virtualiter intrinsecè distinguitur, meritoque
huius distinctionis, quamuis non realis, reali tamen
æquiuolentis poterit intellectus aliquid intelligere,
quod non agit, & agere, quod non intelligit: idem-
que de intelligi, & agi, seruata proportionem dicendum
est: haud secus ac in actu contritionis v.g. quia
amor, & odium virtualiter distinguuntur, amor
Deum, quem amat, non odit, & odium peccati illud
non amat: de quo plura superius lib. 2. tract. 4. à
cap. 4. Quod si sermo sit de agere non præcisè, atque
in communi sumpto, sed de tali agere, nimirum de
agere, seu exprimere imaginem rei in intellectu, cer-
te intelligere, & agere in hoc sensu ne virtualiter
quidem distinguuntur, sed potius sunt omnino ead-
em. At ex eo quod intelligere obiectum, sit agere
verbum ipsius, quis colligat, vel iure possit, aut ob-
iectum agi, aut verbum intelligi, siue cognosci ab
intellectu? Hac ratione, etsi albefactio, siue dealba-
tio iuxta omnes sit actio quædam, inde tamen non
infertur, eum, qui dealbat parietem, eo ipso parietem
producere, aut qui agit, vel applicat albedinem, eam
dealbare.

Ad secundum argumentum respondeo, terminum
quidem actionis intellectualis esse intellectiorem, ob
rationes superius late propositas: cæterum inde non
fieri actionem ipsam non esse etiam intellectiorem,
sicut, quamuis volitio Dei sit actio, non sequitur, eius
etiam obiectum, siue terminum non esse actionem,
siue dependentiam essentialam, actualeque rei à
Deo: & quamuis in diuinis intellectio absoluta, &
communis tribus personis sit propria intellectio, non
efficitur propterea, intellectiorem notionalem, pro-
prietatemque Filij, strictè etiam intellectiorem non esse.
Recole quæ supra disseruimus cap. 6. ex iis enim con-
stabit manifesta disparitatis ratio inter calefactionem,
& eius terminum, & intellectiorem etiam, eiusque
terminum; cum nimirum, etsi solus terminus calefa-
ctionis: non verò ipsa calefactio calor sit, hoc ta-
men non obstante terminus dictiionis internæ intel-
lectio ita sit, vt ipsa etiam dictio, siue productio verbi
similiter